

Bibliothèque numérique

medic @

**Bertrand, Claude-Gabriel - candidat /
Gervais, Louis-Robert - président. -
[De variis abdominis vulneribus]**

1751.

**Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi
Cote : ms 2342, n°13**



1741

13

D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.




LEGANTIOREM sese prorsus in modum exhibet humani corporis fabrica, opus numeris planè omnibus absolutum, idemque permanfurum Creatoris potentiaè monumentum. Meditata porro hujus-cè operis contemplatio quantam præbeat admirandi ansam, quantum afferat jucunditatis & utilitatis liquidò cum pateat, Ubinam gentium ii reperiantur quibus non arrideat sui cognitio? Illa autem scientia in hominem rectè sentientem si apprimè quadret, quantò necessaria magis censerì debet Chirurgis, huic, ut artis studio, ità & muneris officio peculiariter mancipatis. De variis Abdominis vulneribus acturos, partes quibus hæc cavitas conflatur, paucis exponere juvat.

ABDOMEN pars trunci inferior, à pectore Diaphragmatis ope septum, Xiphoidè, ossibus Pubis, Sacro, Coxidè, lumborum Vertebris, costis Spuriis, & Musculis præsertim Abdominalibus circumscribitur.

USITATISSIMA est illius tum in partes, tum in regiones divisio: regionum nomine intelliguntur, designati quidam limites ad explanatiorem partium contentarum investigationem.

ABDOMINIS partes internæ & externæ: hæc in communes, dividuntur & proprias; communes, cutis & pinguedo; propriæ, ossa, Cartilagine, Membranæ, Musculi; circa Musculo præcipuè



notanda occurrunt numerus, situs, fibrarum tractus, foramina; Aponevroses in lineam albam desinentes, quibus Musculi recti ad instar Vaginæ includuntur.

SECTIS cautè Musculis inspiciendum se præbet Peritonæum. Hæc membrana lævis, tenuis, mucò oblita, textû cellulari donatur, cujus ope cum totâ Abdominis periphæriâ connectionem habet, si tamen immediatam Peritonæi cum Diaphragmate & lineâ albâ cohæsiõnem exceperis. Protenditur & partibus contentis involucri peculiaria & varia ligamenta suppeditat: intra textum cellularem posteriùs reconduntur Vasa majora, Renes, Glandulæ renales, Ureteres, Vasorum spermaticorum ortus; anteriùs in conspectum prodeunt Vasa umbilicalia, Vesica, & quædam è Genitalibus. Processus quibus Vasa spermatica & cruralia involvuntur, in Chirurgicam quoque animadversionem veniunt.

VISCERA Peritonæi sacco inclusa plurima apparent, in parte superiori sub Diaphragmate situm obtinent, Hepar cum suâ cystide felleâ, Ventriculus, & Lien; Ventriculo subjacet spatium quodam triangulari inclusum Pancreas. Maximam Abdominis partem occupant Intestina Mesenterio alligata, crassiora ad periphæriam, in centro tenuiora: his incumbit Omentum multâ pinguedine gaudens. In pelvi spectantur intestinum rectum, vesica, partesque Genitales diversæ pro diverso sexû.

FABRICA discrepant partes in Abdomine contentæ; aliæ Membranaceæ; aliæ Glandulosæ, hæ substantiam densam, illæ cellularem exhibent. Variis etiam usibus inserviunt, chilo scilicet, secretionibus, & generationi. De his ampliùs disserere non est animus, proposita solvere conabimur.

E X C H I R U R G I A.

PRÆVIAM Solidarum in statû naturali partium Speculationem, nisi ratio subsecuta fuerit, quæ valeat earumdem læsarum obtineri curatio, irritæ quodam modo cesserint tot nostræ elucubrationes; sapienter itaque constituit provida Naturæ benignitas, ut quidquid damni Mortalium seu imprudentia seu ferocitas intulisset, auxiliatrici ferè Chirurgorum sagacitate refarciretur. Aliter, non ità diuturno temporis intervallo de humano genere conclamatum foret. Quàm plurimas verò inter morborum classes aptæ partium conformationi officientes, non immeritò primas sibi vindicare videntur Abdominis vulnera, quæ quidem hîc loci evolvenda aggredimur.

ABDOMINIS vulnera penetrant, vel solas partes externas

lædunt, præcipua horum discrimina, à causâ, figurâ, sitû, naturâ partium læsarum, & accidentibus repetenda.

PENETRENT nec-ne vulnera, simplicia sunt aut implicata; implicatio enim à naturâ partium læsarum pendet: si quidem vulnera quædam involucris hujus cavitatis inflicta comitari possunt Hæmorrhagia haud facillè sistenda, inflammatio, summa tentio, abcessus, febris, convulsiones, aliaque lethalia symptomata, nisi Artis beneficio, venarum sectionibus repetitis, ampliacione avertentur. Aliàs quippè cavitas transfigitur absque ullo fauciatu damno, ut non rarè experienciâ comprobatum est.

IN vulneribus penetrantibus, intactæ remanent aliquandò partes internæ, sæpiùs læduntur, & varia sit in cavum aut extrâ pro diversâ partis indole effusio.

VERSUS Vulneris orificium, si non sit angustius, fluctuantes nonnunquàm erumpunt, nec rarè per vulneris oras adedò strangulantur, ut non nisi difficili negotio reducantur.

SENSIBUS & ratione dijudicantur Abdominis vulnera, visus quidem, & tactus immediatus non parùm ad explorationem vulnerum conducunt; specillum verò & injectiones, ut media non tantùm infida sed & noxia improbamur.

SIGNA rationalia, ex Galeno quinque, nempe actio læsa, excretio, accidentia cuique parti & vulnere propria, vulneris situs, & dolor quo pars fauciatu diversi modè cruciatur; duo hæc ultima juxtâ nos incertissima.

SIMPLICIUM Abdominis vulnerum coadunatio sit unicus mendis scopus, accidentia tamen venæ sectionibus, fomentis emollientibus, & idoneâ victûs ratione sedulò præcaveat, quæ si ob nimiam partium aponevroticarum tensionem imminet, ampliacionem vulneris quâ statim solvuntur non procrastinet.

INTESTINA per vulnus elapsa, si nullus adsit obex, citò citiùs in Abdomen refundantur, quod si propter strangulationem obtineri nequeat, ad ampliacionem vulneris confugiendum & prudentibus digitis Intestina intropellenda.

NON alia sequenda est methodus in Omenti prolapsû nisi gangrænâ afficiatur, aut pars Omenti prorupta ob nimiam obesitatem, nimiam vulneris ampliacionem postulet; si enim imminet gangræna, Omenti ligatura efficiatur in parte sanâ, & pars corrupta seceatur. In altero autem casû Omentum per vulneris oras strangulatum relinquatur, & hujus separatio Naturæ committatur, quâ peractâ, pars Omenti sana cum vulnere coalescit, & herniæ ventrali ut plurimùm post sanationem pertimescendæ impedimentum præbet. *

* Hanc methodum proposuit Laudandus è nostris M. Chauvin quâ nuper cum successu non infelici usus est.

PERICULOSA sine dubio vulnera de quibus actum est. Periculosiores viscerum læsiones propter contentorum effusionem, ex quâ gravissima, quin imò lethalia oriuntur accidentia; tota spes tamen non abjicienda. Si extùs prodeant Intestina, modò mediante futurâ ansæ formam exhibente, ad orificium vulneris contineantur, nec adhibeatur Pellionum futura. Si extùs non prodeunt partes fauciatae, & effusio materiæ fiat per alvum, effusorum exitus, quantum fieri potest, idoneo sitû concilietur, sin minùs, unicum Egrotantis præsidium in contra-apertura requiratur, modò collectæ materiæ locus innotescat.

PARTES in locum reductæ, idoneo sitû, debitâ que fasciatione contineantur, quæ si propter amplitudinem vulneris non suffecerint, ad gastrophiam citò recurrendum. Absolutâ vulneris curatione, fasciæ ferreæ ope Herniæ ventrali provideat Chirurgus, oportunis venarum sectionibus, tenui victùs ratione, cæterisque pro re natâ remediis debellantur accidentia.

Has positiones, DEO JUVANTE, & præside M. LUDOVICO ROBERTO GERVAIS Artium & Chirurgiæ Magistro, in Arte Obstetriciâ Demonstratore, antiquo Scholarum Moderatore, & è Regiâ Chirurgorum Academiâ, tueri conabatur CLAUDIUS GABRIEL, BERTRAND, Parisinus, Artium Liberalium Magister.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Veneris 31^{ma} Decembris à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini 1751.

PRO ACTU PUBLICO

E T

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1751.